

absque fidelium subsidio non valeat aliquatenus consummari, nos ad fidelium devotionem uberius provocandam de misericordia dei et beatae Mariae virginis, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli omniumque sanctorum meritis confidentes, omnibus benefactoribus ecclesiae supradictae, quorum diocesani hanc nostram indulgentiam ratam habuerint, de peccatis suis vere contritis et confessis quadraginta dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus. Datum Lugduni tempore concilii generalis anno domini M°. CC°. LXX°. III°.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem beschädigten Siegel in rothem Wachs.

No. 238. 1275. 11. Apr.

B. Withego eignet der Capelle des h. Andreas bei der Domkirche die Jahresrente einer von dem Vicar derselben Conrad erkauften Hufe Landes zu Shepe.

Nos Witego dei gratia Misnensis episcopus recognoscimus et tenore praesentium protestamur, quod dominus Cunradus capellae sancti Andreae in Misne perpetuus vicarius mansum unum situm in Shepe^{a)}, qui a nobis habebatur in feodo, solventem unam marcam annuae pensionis, cuius medietatem Johannes de allodio possidet, Dobran vero medietatem alteram, qui medietatem unam eiusdem census in festo sanctae Walpurgis et medietatem alteram in festo sancti Michahelis solvere consueverunt, a domino Tamone de Schassowe pro marcis undecim comparavit; dictus vero Tammo una cum uxore sua, cui in dotalitium fuerat assignatus, et omnibus eorum heredibus ipsum mansum nobis absolute et libere resignarunt. Nos vero adtendentes pium dicti Cunradi propositum, sibi et successori suo tantillum emendare volentis stipendium, proprietatem ipsam ob honorem sancti Andreae apostoli eidem capellae dedimus perpetuo purae proprietatis titulo possidendam cum omnibus servitiis, quae inde fieri hactenus consueverunt. Ut autem haec firma et inconvulsa permaneant, nec ulla super ipsis in posterum suscitetur quaestio nocitura, praesentem paginam desuper conscriptam in testimonium dedimus sigilli nostri munimine roboratam. Testes huius dominus Sifridus dictus de Pygauia, dominus Cunradus thesaurarius, magister Cunradus noster notarius, canonici ecclesiae Misnensis, dominus Cunradus capellanus noster, dominus Heinricus Burleban miles, Petrus de Turgowe et quam plures alii fide digni. Actum Misnae anno domini M°. CC°. LXX°. V°. III°. Idus Aprilis pontificatus nostri anno nono.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an einem von der Urkunde selbst zum Theil abgeschnittenen Pergamentstreifen.

a) Gross- oder Kleinzschepa, Par. Lorenzkirch.

No. 239. 1275. 11. Apr.

B. Withego wiederholt die vorstehende Zueignung mit Zustimmung des Capitels und mit grösserer Specialisirung der Einkünfte.

In nomine domini amen. Witego dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis Christi fidelibus hanc litteram inspecturis salutem in perpetuum. Quoniam omnium habere memoriam divinitatis potius quam humanitatis existit, ne in oblivionem